nostra intra se optimè vigeat, cætera attuli tantùm in hunc finem, ut quò periculosior est externarum rerum in Orbe Moderno ad Germaniam facies, eò magis etiam necessaria appareat interna Reipublicæ salus & incolumitas. Atq; istâ intentione totum hunc qualemcunq; libellum ex vero amore Patriæ conscripsi; Tu Benevole Lector, simili animo eundem perlege, & errores Typographicos in cursoriâ repetitione notatos, quos ad finem invenies, speciatim vero casuale istud erratum cap. 6. p. 114. lin. 17. & 18. commissum, ubi nomine moderni Hispaniæ Regis Philippus IV. intelligitur sc. tunc, cùm caput illud conscriberetur, adhuc in vivis constitutus, temporis brevitati aliisq; occupationibus remitte. Dabam Altdorfi 7. Cal. Mart. Anno 1667.